



# Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

130. Christus, dimissis paralytico peccatis, eundem sanitati restituit.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)



jacebat. *Marc. 2. v. 4.* Per regulas submiserunt eum cum lecto in medium, ante IESUM. *Luc. 5. v. 19.*

III. Cùm autem vidisset Iesus fidem illorum, ait paralytico: *Marc. 2. v. 5.* Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. *Matth. 9. v. 2.* *Marc. 2. v. 5.* *Luc. 5. v. 20.* Et ceperunt cogitare Scribæ, & Pharisei, dicentes (intra se: Hic blasphematur. *Matth. 9. v. 3.*) Quis est hic, qui loquitur blasphemias? *Luc. 5. v. 21.* Erant illic quidam de Scribis sedentes, & cogitantes in cordibus suis: Quid hic sic loquitur? Blasphematur. *Marc. 2. v. 6.* *Luc. 5. v. 7.* Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? *Marc. 2. v. 7.* *Luc. 5. v. 21.*

## MEDITATIO CXXX.

*Christus, dimissis paralytico peccatis, eundem sanitati restituit.*

I. UT cognovit Iesus (spiritu suo, *Marc. 2. v. 8.*) cogitationes eorum, respondens, dixit ad illos: *Luc. 5. v. 22.* Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius, dicere paralytico: Dimittuntur tibi peccata tua; an dicere: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula? *Matth. 9. v. 4. 5.* *Marc. 2. v. 9.* *Luc. 5. v. 23.*



**F. II.** Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico; Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. *Matthæi 9. v. 6. Marc. 2. v. 10. & 11. Luc. 5. v. 24.* Et confestim consurgens coram illis, tulit lectum, in quo jacebat: & abiit in domum suam, magnificans Deum. *Luc. 5. v. 25.*

**III.** Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. *Matth. 9. v. 8.* Surrexit ille, & sublato grabato abiit coram omnibus, ita ut mirarentur omnes, & honorificarent Deum, dicentes: Quia nunquam sic vidimus. *Marc. 2. v. 12.* Stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie. *Luc. 5. v. 26.*

## MEDITATIO CXXXI.

*Servi paralytici herus mittit seniores  
Iudaorum ad Christum.*

**I.** **C**UM IESUS implēset omnia verba sua in aures plebis, intravit Capharnaum. Centurionis autem cujusdam servus malè habens, erat moriturus: qui illi erat pretiosus. *Luc. 7. v. 1. & 2.*

II. Et